Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



217

tauit et uidit quia bona negotiatio ei.
ñ extinguet in nocte lucerna illi. Manu
sua misit ad fortia. et digiti sui apprehenderit
fusum. Manum suam aperuit inopi. et palmas
suas extendit ad pauperem. Non timebit
domui suae. a frigoribus niuis. Omnes enim do
mestici eius uestiti duplicibus. Stragulata sibi
uestem fecit s. byssus et purpura indumentum
eius. Nobilis in portis uir eius. quando sede
rit cum senatoribus terre. Syndonem fecit et
uendidit. et cingulum tradidit chananeo.
Fortitudo et decor indumentum eius. et ridebit in
die nouissimo. Os suum aperuit sapientie. et
lex clemencie in lingua eius. Considerauit semi
tas domus sue. et panem otiosa non comedit.
Surrexerunt filii eius et beatissimam pdicauerunt.
uir eius et laudauit eam. Multe filie congregauerunt
diuitias. tu supergressa es uniuersas. fallax
gratia et uana pulcritudo. mulier timens do
minum ipsa laudabitur. Date ei de fructu ma
nuum suarum. et laudent eam in portis opera eius.